

**De pullitie verminosa in primis viis nidulante ... theses inauguralis medicas  
... / submittit F.L. Rencker.**

**Contributors**

Rencker, F. L.  
Verdries, Johann Melchior, 1679-1735.  
Justus Liebig-Universität Giessen.

**Publication/Creation**

Giessae : Typis vid. Jo. Reinh. Vulprii, [1728]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vbq672yg>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



D. C. A.

DE

PVLLITIE  
VERMINOSA

IN PRIMIS VIIS NIDVLANTE,

*THESES INAUGVRALES MEDICAS,*

AVCTORITATE ET INDVLTV

*GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,*

MODERATORE

MAGNIFICO DOMINO RECTORE

D. IO. MELCHIOR. VERDRIES,

CONSIL. ET ARCHIATR. HASSO-DARMSTAD. MED. ET

PHIL. NAT. P. P. ORDIN. S. R. I. ACADEM. LEOPOL-

DINO-CAROLINAE N. C. COLLEGA,

*PRO LICENTIA*

SVM MOS IN ARTE SALVTARI HONORES,

PRIVILEGIA ET IMMVNITATES

RITE CONSEQVENDI,

PVBlico ET SOLEMNI

*MAGNIF. ET EXCELL. ACADEM. PROCERV*

EXAMINI SVBMITTIT

FRIDER. LVDOV. RENCKER,

*GIESSENSIS,*

AVCTOR ET RESPONDENS.

AD DIEM XIX. AVGVST. clbcccxxviii.

---

*GIESSAE*, Typis Vid, Io. Reinh, Vulpii, Acad. Typogr.









*A. D. G.*

*§. I.*



Orpus humanum est & faccus stercorum  
& vermium innumerorum domicilium  
ac diuersorium. A prima enim natiui-  
tate ad mortem usque pullitiem vermi-  
nosam & infinita fere vermium semina cir-  
cumferimus; atque post mortem corpus  
destructum & corruptum merus quasi est lumbricus. In  
corpore, etiam dum adhuc viuit, vix angulus reperitur, qui  
verminosae prolis generationi non sit accommodus. Hu-  
mores promte verminant. Partes solidae omniaque fere  
viscera, excepto forte liene, facile vermiculantur. In san-  
guine, tanquam oceano minoris mundi, deprehensa sunt  
insecta balaeniformia. Vrina, sudor, saliuu vermicu-  
lis subinde scatent. Semen masculinum vermibus est re-  
fertissimum. In cerebro, oculis, naribus, auribus, den-  
tibus, gingiuis, lingua, pulmonibus, pleura & pericardio,  
ipsoque corde, mammis, ventriculo, intestinis, hepate,  
vesi-



vesicula fellis, renibus, vesica vrinaria, vtero, vasis spermaticis, testibus virilibus, vermes saepe reperiri observationum fide compertum habemus. Neque exteriorum habitum, cutim & subtus positos musculos ab importunis his & molestis hospitibus immunes esse experientia quotidiana testatur. Vt de vulneribus & vlceribus, in partibus hisce laesis, insigniter verminosis iam nihil dicam. Satis enim apertum est: homo in vita sua vermis: homo putredo censeripotest & filius hominis vermiculus: Iob. XXV. 6. Dignum est prolixiore tractatione hoc argumentum, operaeque pretium esset originem, & generationem tam diuersi generis vermiculorum in corpore nostro accuratius peruestigare: cum vero instituti mei ratio prolixitatem non ferat, de origine vermium vel lumbricorum in primis viis & modo eosdem depellendi pauca saltem, thesibus hisce inauguralibus proponere constitui? Faxit DEVS vt feliciter.

## §. II.

Vermes primarum viarum, quos Graeci *ελμινθας* vocarunt, lumbrici etiam a lubricitate dicti, sunt animalcula ex reptilium genere, in humoribus stagnantibus & putredine resolutis, ex seminiis siue ouulis suis genita; productum morbosum causae morbosae, quod aeque ac ipsa illa causa corpus insigniter affligit actionumque integritatem impugnat & peruertit.

## §. III.

Tria reperiri vermium in primis viis prouenientium genera & Graeci & Latini Medici obseruarunt. Scilicet, qui



qui hic hospitantur lumbrici, sunt vel rotundi siue tere-  
tes, Germanis *die Spulwürme* / vel lati, quos, quia  
ex filamentis aggregatis & connexis compositi folliculum  
referunt, Germani vocant *die Beutel-Würme* / vel asca-  
rides; qui, quum acus cuspidem figura exhibeant, dicun-  
tur *die Nadel-Würme*. Arabes teretes vel paruos siue  
graciles vel latos obseruari contenderunt: quos vltimos  
cucurbitinos, ob figurae cum semine cucurbitae similitu-  
dinem, vocarunt. Sed alii cucurbitinos lumbricos Ara-  
bum figmentum esse putarunt, illosque nihil aliud esse  
quam vel ascarides maiores, vel vermes quosdam mon-  
strosos, vel etiam fragmenta lumbrici lati existimarunt. Lati  
ita inter se quandoque colligantur vt catenam efforment  
vnius animalis vel vermis speciem praeseferentem, quam  
cingulum, aut taeniam siue fasciam appellant, quae per  
longum intestinorum tractum extenditur eique arcte co-  
haeret. Obseruatus saepe fuit maximus quidam lumbrici-  
us, & quidem latus, quinque, sex, octo, nouem vlna-  
rum; imo aliquando plus quam duodecim vlnas longitu-  
dine exequans, qualem nihil aliud esse quam sacculum  
longum cucurbitinos vermes continentem haud pauci sta-  
tuerunt, quamuis alii cum celeb. *Platero* duo latorum  
lumbricorum siue taeniarum genera distinguant, atque ver-  
mem latum longumque a cucurbitinorum catena re ipsa  
diuersum describant, quin & eiusmodi catenam, quam  
taeniam secundi generis dicunt, vnum praelongum ver-  
mem esse contra alios sustineant, imprimis quod cucurbi-  
tinos lumbricos ab Arabibus temere & re non satis perspe-  
cta, confictos esse credant. Sed ratio instituti iam non permit-



tit, tantas hic componere lites, imprimis cum ad Medicum scopum haec parum faciant.

§. IV.

Nidulatur haec verminosa progenies potissimum in primis viis infantum & puerorum. Cum enim ob tonum ventriculi aliarumque partium & organorum debiliores humores satis conteri, conquassari ac praeparari, & ob inertiam bilis, aliorumque fluidorum, ad exsolutionem ciborum necessariorum, visciditatem satis incidi, dilui, & a nido putredinali facile imminente praeservari nequeant non adeo mirum, si humores in primis viis stagnantes non recte praeparati ac correcti labem putredinalem contrahant atque hos putredinis filios excludant. Accedit quod puri adephagiae plerumque dediti plus saepe ingerant, quam tenera ventriculi constitutio digerere ac subigere possit unde non potest non fieri, quin cruditates nidorosae, frigidae, putrescentes oriantur nidumque & locum natale vermibus conuenientem praebeant. Ex eadem ratione ob partium & viscerum debilitatem, atque proinde impectiores actiones humorumque vitiosam crasim in adultioribus cacochymicis, cachecticis, in foeminis etiam obstructionibus mensium laborantibus, aliisque subiectis, vitiis & solidarum & fluidarum partium vitio lymphae intestinalis a naturali temperie recedens & mucida fracedine imbuta in putredinem abiit, aut ob vitia digestionis cibi non recte subacti facile putrescunt, haec morbosa progenies provenire solet.



§. V.

Locum proinnatalem lumbricis praebet canalis intestinalis cum ventriculo. Rotundi & teretes plerumque in intestinis tenuibus habitant, inde aliquando in ventriculum progrediuntur, ita vt per os saepe reiciantur, quibusdam etiam e naribus egrediantur. Lati in intestino ileo inprimis reperiuntur, quin & per totum intestinorum tractum se diffundunt, ita vt exemplis non vnis constet, latos eiusmodi vermes per os exclusos fuisse; sicut talem quatuor cubitos longum vomitu reiectum obseruauit *Amatus Lusitanus*, C. VI. Cur. 74. Ascarides intestinum rectum potissimum infestant. Num in intestino duodeno vermes generentur, de eo dubitant nonnulli, ex eo, quod bilis hic affluens virtute balsamica putredinem humorum arceat, mucum incidat & sic prouentum vermium impediatur. Sed experientia ostendit neque hoc intestinum a pullitie verminosa immune esse: nec ratio repugnat. Bilis enim iners reddita, & vitiosa, ipsa pullitiem talem alit, quomodo igitur, quod in proprio folliculo impedire nequit, hic praecaueret. Vbi enim deficit bilis scilicet vere balsamica & laudabilis, ibi lumbricorum patriam esse recte dixit *Helmontius*.

§. VI.

Innotescit dispositio humorum verminosa, nidus, & ipsa pullities, in infantibus & pueris cum primis, per varia signa. Scilicet copiosa saliuæ per os effluit, & si malum ingrauescit, cum oris foetore. Nauseabundi sunt & vomituriunt, tempore praesertim matutino. Sitis tempore matutino,



tino, ventriculo ieiuno, quin & noctu molesta est. Appetitus modo est auctus, modo prostratus, aliquando etiam deprauatus. Facies fit pallidior cum circulo liuescente circa oculos. Genæ per intervalla sæpe insigniter rubent. Nares pruriunt; quod ex crebra frictione & scalptura colligere licet. Accedunt alui tormina & borborygmi. Abdomen fit tumidum & inflatur, aliquando cum obstructione, sæpe cum fluxu alui. Sub somno dentibus strident, labia torquent, & paucioribus exagitantur, unde subito euigilant & sæpe delirant. Capitis simul adeo grauitas & uertiginosa afflictio. Superueniunt aliquando cardialgiae, lipothymiae, motus febriles, aut etiam convulsiui & epileptici, quin & alii morbi & symptomata plurima, in aliis quidem alia, ita ut vix morbus sit, qui non aliquando a dispositione feri putredinali verminosa vel producat vel foveatur & peior reddatur. Urina cruda est, & quam primum prodierit, lactescit, totusque corporis habitus flaccescit.

## §. VII.

Oriuntur lumbrici non ex materia putri per generationem aequiuocam, iam dudum a sanioribus Philosophis explosam, sed ex ouulis sui generis humoribus nostri corporis permixtis, quæ cum primo foetus alimentum a matre in embryonem & postea cum lacte materno in infantem transmittuntur. Vnde foetus etiam in utero vermibus non immunis est, teste *Hippocrate* & aliis recentioribus. Num ouula illa & genus hoc vermium primum omnium matri Euae fuerint concreata aut num ex parte



spermia elementari , quam Cl. *Sturmius* quodam modo  
 vindicare allaborauit , in corpora transferantur , vbi non  
 nisi in conuenienti ipsis nido excludi possint , non adeo li-  
 quet. Hoc certum est lumbricos istos genus constituere  
 peculiare ab aliis distinctum, atque in nobis saltem, istis in  
 locis, nidulari ac propagari ; cumque genera animalium  
 non transmutentur, ab aliis seminibus insectorum non oriri.  
 Vnde veritati minus consentaneum videtur, a propinato pul-  
 vere lumbricorum terrestrium lumbricos intestinales oriri  
 posse : sicut nec a muscarum aliorumque insectorum in-  
 quinentis, saccharatis, mellitis aut fructibus dulcioribus  
 adhaerentibus & cum illis ingestis eodem prouenire cre-  
 dibile est : quamuis haec ingesta haud parum ad lumbric-  
 orum prouentum vberiore contribui possint. Nem-  
 pe ouula lumbricorum cum dulcibus non inferuntur ven-  
 triculo & intestinis, sed ibidem iam in humoribus reperiun-  
 tur. Dulcia vero fermentescentia & tonum primarum via-  
 rum facile destruunt, & cum humoribus corporis permixta  
 intestinum, corruptiuum, putredinalem motum producant,  
 atque illo motu, humoribus intimius resolutis ac putre-  
 scentibus, excluduntur semina & ouula non aliunde huc  
 translata, sed inquilina. Scilicet haec sui generis ouula in  
 succis corporis purioribus, probe subactis & praeparatis  
 ac quoad crasin & mixtionem naturalem recte constitutis  
 adsunt quidem, sed excludi nequeunt. Nidum enim & nu-  
 trimentum conueniens requirunt. Id vero non inueniunt  
 nisi in materia putredine intimius resoluta & expansa: vnde  
 semper in materia putri pullities verminosa luxuriat : ex  
 ea ratione, quod motu intestino putredinali materia maxi-



me soluitur & extenuatur, quod ex halitibus foetidis inde copiose exsurgentibus & dispersis satis apertum est; sic partes subtilissimae agili tenuitate in puncta organica siue ouula commixta ingrediuntur, eademque secundum structuram organicam distendunt, expandunt, agitant vitalesque in illis motus vitamque actuale inchoant. Atque hinc semper in subiectis verminantibus vitia digestionis, vitia humorum, labem putredinalem in primis viis observamus, quam plurima quoque phaenomena & symptomata luculenter innuunt.

### §. VIII.

Generationi huic vermium occasionem praebent variae causae remotae. Scilicet quicquid ad corruptionem humorum putredinalem praesertim in primis viis excitandam aliquid contribuit, illud etiam vermium prouentum promouere solet. Quicquid robur & tonum ventriculi laedit, ac labefactat, digestionem vitiosam reddit, id omne plurimum hic confert. Hinc aetas senilis aequae ac infantilis, temperamentum phlegmaticum, pituitosum, cum flaccidiore corporis dispositione, otium, somnolentia, status corporis plethoricus, ut ad cacochymiam & cachexiam corpus disponunt, ita corruptionem humorum putredinalem, unde vermium numerosa proles, multum promouent. Vbi bilis etiam speciatim accusanda est inertia. Inde enim oriuntur cruditates, humorum visciditas, corruptio, fracedo nidorosa vermium generationi inprimis conueniens. Pertinent huc cibi tum crudiores, dyspepti, tum molliores, dulciores, ventriculo inimici eiusque tonum

in-



infringentes & laxantes , saccharata , mellita , fructus horaei , dulces , omnia fermentescientia , quae nidorem putredinalem facile contrahunt & inducunt. Nec immerito puerorum adepagia huc adducitur. Inde enim ubi plus ingeritur quam digeritur , in tenello nec satis adhuc firmato habitu , tono debiliori , bile etiam nondum sat acri , facillime generantur cruditates putrescentes. Ex rebus praeternaturalibus , cacoehymia & cachexia , vt modo subinnuimus cumprimis huc faciunt. Hinc teste experientia nil frequentius in talibus subiectis quam vermium prouentus & symptomata. Vnde etiam nutrices , quarum mixtio & crasis humorum ad cachexiam aut corruptionem ac putrorem propendet , cum lacte & nidum & ouula ac semina vermium in infantes transferunt.

§. IX.

Causis hisce recte perspectis , haud adeo difficile fuerit phaenomenorum & symptomatum §.V. propositorum rationem expedire. Cum enim sub verminante illa corporis dispositione , & tonus partium sit labefactatus , genus neruosum debilitatum , atque hinc ad motus praeternaturales spasmodicos procliue , & crasis , mixtio ac consistentia feri sanguinis minus recte constituta , praeterea bilis , succus pancreaticus , lymphaeque intestinalis vitium capiant ac prauas qualitates acquirant , non possunt non in prauitatis illo statu actiones laedi , atque varia subinde etiam satis graua & periculosa symptomata hanc naturae deprauationem comitari. Pleraque nempe symptomata non tam ab ipsis vermibus , quam crasi feri & lymphae vitiosa , hu-



moribus viscidis, putredinali labe inquinatis, rancidis, acore vel acrimonia nidorosa, fracida, sensilia nervorum flamina vellicantibus. Vermes equidem fugendo instar hircinorum, aut etiam rodendo, (reperiuntur enim exempla ubi intestina perrosisse dicuntur: quamvis in eiusmodi observationibus nondum expeditum sit, num ipsi vermes aut potius materia acris perrosarit, aut ulceris putridi occasione in intestinis haec laesio nata sit) delicato nervorum generi vim inferre posse vix dubium esse potest. Plurima tamen symptomata in plurimis casibus materiae magis putrescenti acri, verminanti quam rosioni vermium debentur. Nempe saliva copiosa in ore secernitur; ob lympham viscidiorē & acrem circa glandulas salivales stagnantem easque irritantem. Ex ea ratione scorbutici, in quibus visciditas & acrimonia dominatur, sunt sputatores. Foetor oris est ex humoribus putredine infectis. Nausea & ad vomendum conatus oriuntur, tum ex languore ventriculi, tum ex humorum fracidorum & acriorum incitatione & stimulo, quo teneras & in languore, ad motus eiusmodi procliviores nervorum fibrillas promptius irritate & cedere queunt: idque noctu cum primis & tempore matutino, ventriculo ieiuno: tum enim acrimonia humorum, quae tempore diurno ab ingestis potibus & cibis aliquomodo frangitur & debilitatur, maior est, halitibus pravis biliosis magis explicitis & incitatis. Appetitus saepe augetur: ubi acrimonia putredinalis insurgit atque ventriculi tonus spasmodica constrictione intenditur: aliquando plane est prostratus; languente tono & humoribus magis vapescentibus: subinde etiam deprauatur ob tonum spasmodicum.



spasmodicis incitationibus nervorumque inordinatis di-  
 tractionibus deprauatum. Facies pallida cum circulo  
 colorum liuido ex statu cacochymico & cachectico facil-  
 ite deducitur. Cumque spasmodicis exagitationibus ha-  
 bitus corporis inordinate modo stringatur, modo laxetur,  
 lane vt in statu febrili, (vnde & febrilis quaedam consti-  
 titio sub verminosis corporis afflictionibus obseruatur)  
 a vt sanguis modo ad interiora repellatur, mox aestu  
 surgente, ad exteriora liberius propellatur, hinc genae  
 per interualla saepe insigniter rubent. Nares pruriunt,  
 tum ob totius massae serosae prauam dispositionem & acri-  
 moniam putredinalem, etiam membranam pituitariam,  
 deposito ibidem acriori suo, exstimulantem, tum obructus  
 & halitus acriores per gulam exsurgentes & pone uulam  
 ad nares pertingentes, tum ob consensum ventriculi, oris  
 & narium, in continuitate membranae cavitates succingente  
 & nervorum cohaesione radicata. Tormina alui & hor-  
 rorygmi oriuntur a cruditatibus viscidis, fermentescenti-  
 us, putredinosis, & inde oriundis flatibus intestina,  
 quoad tonum iam labefactata, praeter naturae modum di-  
 tendentibus. Hinc etiam abdominis tumor cum obstru-  
 ctione, tono ultra modum adstricto, atque hinc fluidi in-  
 testinalis affluxu represso: &, secretionem impedita; aut cum  
 alui fluxu; tono nimis soluto & acrimonia biliosa, quae hu-  
 mores, extra ordinem soluit, fundit, & solida debiliora  
 exstimulat, ingrauescente. Reliqua symptomata spasm-  
 oica dependent ab exagitatione generis nervosi in isto per-  
 uerso statu inordinata: sicut & sola abdominis inflatio o-  
 mnia illa in infantibus & pueris prouocare valet. Acriorem



etiam feri dispositionem, inprimis si illud putredinali a  
& acrimonia infectum fuerit, generi nervoso in ter  
& adultis infestam esse, motus irregulares excitare, p  
umque fluidarum & solidarum aequilibrium peruert  
nato notius est; vt, vbi in aliis morbis eiusmodi dispo  
verminosa putredinalis coniuncta sit, illi non possint  
exacerbari & peiores fieri. Vrina partibus crudis, no  
cte subactis, crassioribus referta, quamprimum exc  
fuerit, cessante calore animali, quo partes in qualicu  
mixtione continentur, turbatur, partibus crudis praeci  
tis, & lactescit, ob partes crassiores oleosas per aquea  
spersas. Cumque in illo peruersitatis statu partes flu  
serosae crudiores sint, nec recte praeparatae, solidae e  
quoad tonum & vigorem labefactatae; quid mirum f  
ficiante debito nutrimento & partium solidarum ton  
elaterere, corpus flaccescat ac debilitetur?

§. X.

Ex dictis iam facile perspicitur, quanta mala p  
illa colluies verminosa in corpore humano inferre  
quam grauter actionum integritatem peruertere po  
dum causam & occasionem grauissimis saepe morbis  
peditat atque plurimos morbos, si superueniat, graui  
reddit. Quo maior est humorum in primis viis cor  
entium, modo & stagnantium aliquo corruptio, quo  
gis bilis vitiosa alique humores salino oleosi res  
tione putredinali extenuantur, vt sanguineae massae c  
mixti, tenui acie crasin eiusdem dissoluere, peruertere,  
bare, serum fundere, colliquare, partium sanguinem c

po



nentium secessum promovere, atque simul sensiles ner-  
 rum fibras, penetrante stimulo, incitare & ad motus in-  
 dinatos spasmodicos sollicitare possint, eo grauior oritur  
 orborum, quos vel producant vel fouent isti corrupti  
 mores, status. Hinc si in affectibus chronicis, malo hy-  
 chondriaco, affectibus hysteris, congestionibus &  
 stibus haemorrhoidalibus eiusmodi corruptio humo-  
 n verminosa accedat, conatus egerendi & excludendi  
 ensiores & pertinacissimi saepe oriuntur. Ob irritatio-  
 n & stimulum penetrantem humorum corruptorum,  
 ore putrido vel acredine nidorosa continuo insistentium;  
 fortassis etiam ipsorum vermium vel suctionem vel ro-  
 nem. Hinc etiam in morbis acutis, si verminosa eiusmodi  
 humorum constitutio occurrat, irritationes motusque  
 uulsiui accedunt, nec non deliria, diarrhoeae, similes-  
 e peruersi motus & excretiones, quae periculo non va-  
 nt & plerumque lethales sunt: partibus solidis praeter-  
 turali acore nimium irritatis, fluidis colliquatis. Vnde  
 acutis morbis malum signum habetur, si in incremento  
 statu vermes prodeant. Nempe tum putrescentem ac-  
 ciuam colluuiem adesse nullum dubium est. Si in de-  
 cimento morbi excernantur, naturam vicisse ostendunt.  
 terum quoad differentiam vermium, ascarides pruri-  
 n & tenesmum producentes molesti magis sunt quam  
 ciui, nisi maiores sint & copiosiores. Lumbrici lati,  
 ud adeo graua excitant symptomata, dum in humoribus  
 cidis, tenacibus, pituitosis magis quam biliosis resident,  
 i partibus quidem acribus, sed fixis, intestinale tubum la-  
 sunt & appetitum aliquando vehementem producant, sed  
 dum



dum volatili, tenuiori, biliosa acrimonia carent, minociui sunt. Difficilis tamen & saepe non nisi per par expelluntur. Cum lumbrici albi pituitosum, flauī & bri biliosum aut etiam sanguineum, ex laesione ac corruptione interiori, nidum corruptum, putridum indice facile apparet, priores tantum mali ac periculi non portare ac posteriores.

### §. XI.

Cum pullities verminosa sit accidens morbi ac productum morbosum, atque in colliquamento primariarum putrido, ex cruditatibus prauis ac corruptis, neretur, & cacochymiam, cachexiam, dispositionem scorbuticam, obstructions hypochondriorum, similesque morbos, ubi serum vitiosum in primis viis confluit stagnat, nec recte subigitur, praeparatur aut excernitur comitetur; facile perspicitur, quid Medico agendum si eandem depellere & penitus extirpare velit. Nem non tantum vermes enecandi sunt & expellendi, sed primis nidus ipsorum destruendus, colluies inquinata & putrida corrigenda, eliminanda, atque fontes ipsius destruendi, hoc est, integritas actionum restituenda atque ipsi morbi, a quibus pendet, curandi. Hinc vermium progeniem extirpare aequè plenum laboris saepe opus est ac dispositionem corporis, sic dictam, scorbuticam, hypochondriacam, cacochymicam, cachecticam, ipsosque morbos percurare. Enim vero, nisi isti morbi quibus corrupta colluies prouenit, depellantur, partem tam solidae quam fluidae integritate suae restituantur.



nunquam pullities ista excludi poterit. Hinc non sine graui ratione Cl. Chr. lo. Langius, *citra crimen laesae veritatis*, inquit, *asserere nullus dubito, vix vllum genus medicamentorum nominari posse, a quo non aduersus vermes apparatus mutuo quandoque sumant Medici.* Equidem anthelmintica illa notissima, amara, acria, salina incidentia, mercurialia, dum ventriculi & intestinorum tonum restitunt, humores viscidos incidunt, attenuant, corrigunt, & a labe putredinali immunes reddunt, eo ipso nidum verminosum destruunt, subiunctis aut interiectis purgantibus porro, vna cum vermibus, expellendum. Sed nisi fons vitiosorum humorum obstruatur, atque morbus vel morboosa dispositio, vnde originem habent, removeatur ac periretur, nunquam hic tuta fides est, sed colluies & pullities verminosa denuo confluit & repullulascit. Vnde potissimum ad morbum primarium in cura respiciendum.

## §. XII.

Interea, ad propellendam nociuam illam pullitiem hoc praecipue agendum, vt nidus vermium destruatur, vitiosa colluies corrigatur & excludatur, atque ita vermes, subducto habitaculo & pabulo, enecentur & expellantur. Eum in finem exhibentur amara, acria, stomachica & aperientia, quae vocant, interpositis salibus, sic dictis digestiuis, incidentibus & abstergentibus, quibus & visciditas humorum destruitur & putredinis labes corrigitur. Tunc in censum veniunt radices graminis, filicis, gentianae, zedoariae, dictamn. alb. aristoloch. rotundae, pimpinell. alb. raphanus rustic. allium, cepae: herb. absinth. card. C bened.



bened. centaur. min. abrotan. scordii, marrub. alb. millefo-  
tanacet. fabin. nasturt. tritol. fibrin. flor. persicor. hyper-  
ci : semina acria, santon. nasturtii, lupuli, tanacet, coria-  
dri, citri, portulacae : baccae iuniperi : corallina, sal-  
alcalia aequae ac neutra, arcanum duplicatum, tartarus, v-  
triolatus, nitrum antimoniatum & similia : vt & acida al-  
quando, spiritus acidii & acidiusculi, stomachici : itemque ba-  
famica, myrrha & aloe : nec non martialia, ipsumque v-  
triolum martis, vel per se, vel in tincturis martialibus re-  
solutum. Hæc omnia nempe vario modo & sub var-  
forma exhibita & stimulandi, roborandi, & incidendi vi-  
ctionem ventriculi & intestinorum instaurant, morbi pri-  
marii causas tollunt, humores verminosos incidunt, d-  
struunt & ad exclusionem aptiores reddunt.

### §. XIII.

Atque hinc si per aliquod tempus exhibita & in usu  
vocata fuerint, subiungenda purgantia, aloetica imprimis  
etiam radix Ialappae, rhabarbarina : quo nomine lauda-  
tur species diaturbith cum rhabarbaro. Praesertim ven-  
hic conducunt mercurialia, pro scopo aequae purgandi  
attenuandi : cum nihil fere magis visciditatem humorum  
corpore animali destruat quam mercurius ; vnde & in  
lis morbis, vbi visciditas acris omnem facit paginam, op-  
imum & vnicum saepe remedium est. Colocynthis &  
ea parata hic quoque commendantur, sed cum illis cau-  
mercandum, cum in infantibus, pueris, aliisque tene-  
oris constitutionis subiectis tormina graviora, quin & co-  
vulsivos saepe motus produxerint. Vnde & vnguentum  
arthanita infantibus non ita facile externe applicandum  
quu



quum dexteritate & vfu medendi celeberrimi viri haud  
contemnenda mala inde proueniffe obferuauerint. Idem-  
que de felle bubulo & aloe externe applicandis obferuan-  
dum: ficut & allium cum fucco abfinthii umbilico impo-  
fitum, rubefaciente & cauftica vi, magna incommoda & do-  
lores, fi nimis diu relinquatur, inducit.

§. XIV.

Sunt qui dulcia hic quoque exhibenda fuadent, ficus  
gr. faccharum, mel: vt his vermium illecebris, dum au-  
de easdem deglutiunt, abftrahantur importuni ifti hospites  
a morfu & rofione. Sed cum dulcia fint fermentefcentia  
& ad augendam putredinalem corruptionem prae aliis  
apta: cum & praeterea, tanquam emollientia, tono ventri-  
culi & inteftinorum inimica fint: facile perfpicere licet,  
quid de illis fit sentiendum. Sicut nec oleofa, quae plu-  
res ex eo hic commendant, quod vermes oleis immerfi &  
involuti emoriantur, laudem merentur, quandoquidem  
molliendo ventriculi & inteftinorum robur destruunt  
atque partium vifciditate humorum prauitatem augent.  
Leuamen illa aliquando tuliffe, aluum laxando, humo-  
rum acrimoniam obtundendo, atque flatibus expellendis  
portam aperiendo, non temere negavero: ficut eum in  
inrem clyfteres etiam ex dulcibus aequae ac amaris parati  
hic faepe multum conducunt: fed ad extirpandam pul-  
tiem & ad nidum destruendum nihil conferunt, & prae-  
erea nocua funt.

§. XV.



§. XV.

Vidimus in genere remedia , & quidem simplici-  
quae ad inimicos istos hospites propellendos conducunt  
ex quibus varia fieri solent composita , quibus recense-  
dis non immorabimur, cum vbique fere apud probatos a-  
ctores descripta legantur : quin dexteritati & prudentiae  
gregii Medici relinquimus, vt omnia ad aetatem , habitum  
conditionem aegri , morbosque & symptomata, vel antec-  
dentia vel concomitantia accommodet , inprimis vero  
originem humorum vitiosorum putredinis labe adspers-  
um peruestiget atque ex ea parte medelam afferre fi-  
deat.

§. XVI.

Quoad ascarides adhuc obseruandum , praeter  
media interna contra lumbricos iam enumerata , exter-  
suppositoria esse adhibenda, ex aloe , myrrha, succo a-  
bsinth. centaur. min. cum melle. Alii suppositorium  
caseo recente cum melle inuncto , vel lardi frusto co-  
mendant. Praeterea clysteres crebro applicandi ex ra-  
gentian. aristol. rot. herb. scord. card. bened. absinth. flor.  
hyperici , addito electuar. de bacc. lauri , hier. picr. p-  
re nata, & aegri constitutione. Vnguentum ex succo absinth.  
ol. amygdal. amar. felle tauri non nihil confert. Optima  
sunt balnea ex absinth. cent. min. scordio, saluia, serpi-  
flor. hyperici, chamomill. &c.

§. XVII.

In diaeta omnia sunt vitanda quae vel tono vent-  
culi & intestinorum fraudi esse , coctionem ac digesti-



em quodam modo impedire , atque hinc cruditatibus  
 riginem praeberere , vel humorum vitiosorum col-  
 uiem producere atque labem putredinalem in illos in-  
 ire possunt. Hinc cibi duriores, tenaces, dyspepti, mu-  
 di, viscidi, qui ventriculo laborem creant, omnia dul-  
 a, emollientia, fermentescentia, in corruptionem pu-  
 edinosam prona, saccharata, melita, fructus horaei faci-  
 fermentescentes nocent. Inprimis vitanda ciborum copia,  
 na ventriculus oneratur. Potus quoque non sit nimius,  
 copia enim potulentorum ventriculum laxat & crudita-  
 s parit, ) neque sit corruptus aut fermentescens : talis  
 im vitiosas fermentationes instituit atque corruptioni  
 tredinali ansam dat: quin conducit hic pro potu ordi-  
 ario aqua acidula, decoctum scorzonerae cum ras. C  
 . sem. foenicul. ac pomo citri, vel cereuisia bene co-  
 a, bene defaecata & lupulata, vinum tenue ac dilutum,  
 d purum, perspirabile ac diureticum, aut etiam, pro  
 egri conditione, medicatum, infusis herbis amaris  
 omachicis; pro vnico haustu sub prandio & coena.  
 nocet aër nimis calidus & nimis frigidus: ille laxando,  
 ic stringendo nimis; vterque tonum ventriculi & inte-  
 rinorum destruendo. Motus prodest moderatus: nocet  
 imius: nocet & otium ac vita sedentaria. Idem de so-  
 no obseruandum. Alius ordinate respondeat. Animi  
 ffectus non excedant: praesertim vero non indulgendum  
 ristitiae. Ceterum pro ratione aetatis, causarum & quae  
 circumstant conditionum, varia quoque diaeta prae-  
 scribi potest ac debet.

*T A N T V M*

CO.



## COROLLARIA.

I. *Vermis umbilicalis est merum commentum vulgi ; non obstante singulari obseruat. Cel. Georg. Hieronym. Velschii, Obs. Med. Physic. Hecatosteae II. Obs. 66. p. 38. multo minus testimonio foeminarum , ad quod vulgo provocare solent , utpote quod in Medicina parui, & nihili saepe facimus.*

II. *Inter pathologiae animatae amatores repertus est nuper , qui omnes morbos a vermibus prouenire contendit ; & sicut omnes causae morbosae , ex hypothese, vermes sunt.*



*sui generis , peculiare , ita omnium medicamentorum virtutes in eo consistere putat , quod singulares contineant vermes , qui vermium morbosorum inimici sint , eosque insectentur atque deuorent . Sed verminosum hoc esse systema quis non videt ? Qui vermes amat , vermes putat esse omnia .*

*II. Erasmus , in Declamat. pro laudib. Medicin. refert : se ipso vidente celebrem Medicum , facili remedio curasse spoletanum quendam , qui nouo maniae genere ex vermibus correptus probe Teutonice loquebatur , sanatus vero hanc linguam nec intelligere , nec amplius loqui valebat . Num hoc a vermibus ? Non vide-*





videtur. Mania enim correptos, vermibus licet destitutos, idiomata linguarum varia, etsi ignota, locutus fuisse observationum fide exploratum habemus: si modo exempla talia non dubia sunt & ex errore originem habent. vid. illustr. Franci. Franckenau Satyr. Med. X. Ergo hoc a morbo maniaco, quem vermicomitati fuere, non vero ab ipsis vermibus.

IV. Amygdalae amarae, quae animalia quadrupedia interficiunt & in volatilibus convulsiones lethales excitant, vermes etiam in corpore humano enecare possunt; sed ipsarum quoque hominum sanitati, nimia copia, nociuae sunt.

